



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Cleri Gallicani De Ecclesiastica potestate Declaratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

CLERI GALLICANI

De Ecclesiastica potestate Declaratio.

Ecclesiæ Gallicanæ Decreta , & Libertates à Majoribus nostris tanto studio propugnatas , earumque fundamenta Sacris Canonibus , & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur ; nec desunt , quiearum obtentu Primum B. Petri , ejusque successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum , iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam . Sedisque Apostolicæ , in qua Fides prædicatur , & unitas servatur Ecclesiæ , reverendam omnibus Gentibus majestatem imminuere non vereantur . Hæretici quoque nihil prætermittunt , quo eam potestatem , qua pax Ecclesiæ continetur , invidiosam & gravem Regibus , & Populis ostentant , iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ Matri , Christique adeò communione dissident . Quæ ut incommoda propulsimus , Nos Archiepiscopi , & Episcopi Parisis mandato Regio congregati , Ecclesiam Gallicanam repræsentantes , unâ cum Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis , diligent tractatu habito , hæc sancienda , & declaranda esse duximus .

I.

Beato Petro , ejusque successoribus Christi Vicariis , ipsiusque Ecclesiæ rerum spiritualium , & ad æternam salutem pertinientium , non autem civilium ac temporalium à Deo traditam potestatem , dicente Domino , *Regnum meum non est de hoc mundo , & iterum , Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari , & quæ sunt Dei Deo* , ac proinde stare Apostolicum illud . *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit . Non est enim potestas nisi à Deo . Quæ autem sunt , à Deo ordinata sunt . Itaque qui potestati resistit , Dei ordinationi resistit . Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici , neque autoritate clavum Ecclesiæ directè vel indirectè deponi , aut illorum subditos eximi à fide , atque obedientia , ac præstito fidelitatis Sacra-*

**

men-

mento solvi posse; eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiæ, quam Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

I I.

Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsaque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ Religione custodita Decreta de autoritate Conciliorum generalium, quæ sess. 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicana Ecclesia, qui eorum Decretorum, quasi dubiae sint autoritatis, ac minus approbata, robur infringant; aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

I I I.

Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones, Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos. Valere etiam regulas, mores & instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcusso; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut Statuta & consuetudines tantæ Sedis, & Ecclesiarum consensione firmatae propriam stabilitatem obtineant.

I V.

In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesiæ pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit,

V.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Ecclesiæ Gallicanas, atque Episcopos iis Spiritu Sancto autore præsidentes mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simulque in eodem sensu, & in eadem sententia.

IN-